





2. D. B. V. \*  
DISPVTATIO IVRIS ECCLESIASTICI  
De

18 16  
28

1703  
**INIUSTITIA VO-**  
**CATIONIS FACTAE**  
**AD CLAMOREM POPVLI,**

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO IVVENTVTIS PRINCIPE

**DN. FRIDERICO**  
**WILHELMO,**

REGNI BORUSSICI, ELECTORATUS BRAN-  
DENBURGICI ET PROVINCIARUM HEREDE,  
ET RELIQUA,

*In Regia Fridericana*

PRAESIDE

**DN. IVSTO HENNINGO** *Böhmer*  
D. IVRIVM PROF. PVBL. EXTRAORD.  
IN AVDITORIO MAIORI

D. Mart. M D CCIII.

Horis consuetis

publico eruditorum disquisitioni subiicit

**HERMANNVS MATTHIAS RADEMACHER,**  
Hamburg.

HALAE MAGDEBVRGICAE

Litris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

28.

DISPUTATIO JURIS ECCLESIASTICI  
DE  
DIVERTITIA VO-  
CATIONIS FACTAE  
AD CLAMORUM FORUM  
IN  
ECCLESIA MONTENAPOLITANA  
AUCTORITATE  
D. RICHARDI  
WILLIAMS  
PROFESSORIS  
IN THEOLOGIA  
MONTENAPOLITANI  
D. HENNINGO  
D. DEI PROF. THEO. TURONENSIS  
IN THEOLOGIA  
TURONENSIS  
TURONENSIS  
TURONENSIS



VIRIS  
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS  
CONSULTISSIMIS  
INCLYTAE REIPUBLICAE  
HAMBURGENSIS  
DNN. DNN.  
CONSVLIBVS,  
SYNDICIS,  
SENATORIBVS,  
ET  
SECRETARIIS,  
DOMINIS MAECENATIBVS ET PATRO-  
TRONIS SVIS VENERANDIS

s.



Vi ardua Reipubl. negotia,  
quæ vtrumque & Politicum & Ec-  
clesiasticum attingunt & dirigunt sta-  
tum, recto secum reputant animo,  
haud aliter iudicare valent, quam il-  
la esse tanti ponderis, vt non aliter  
quam per exacta prudentia & pietate instructos, pro-  
uidos

) 2

uidos & publicæ rei peritissimos rite peragi possint. Vni-  
uersa enim spes tot subditorum in hos solos recumbit,  
tot afflictorum solatium ab illis dependet, tot oppressi  
refugium inde petunt, & ipsæ Ecclesiæ incolumitas mi-  
rum in modum promouetur saluberrima Reipubl.  
administratione. Quamuis vero singulorum quoque  
salus ex incolumitate totius Ciuitatis dependeat, & sic  
singulorum quoque cura eo debeat esse intenta, vt  
tranquillitas & harmonia communis inter ciues con-  
seruetur. Rarius tamen, quod dolendum, hæc ciui-  
um vnanimis coniunctio animorum talis est, qualis me-  
rito desiderari debebat, quin sæpe nonnulli in transuer-  
sum agunt, vt adeoque adhuc exinde cura Patrum pa-  
triæ augeatur, dum merito a singulis subleuari deberet.  
Et si dicendum quod res est, nulla videtur grauior esse  
solicitude, quam de re Ecclesiastica provide confer-  
uanda, cum huius corruptio corruptionem quoque  
totius Reip. post se trahere, huius vero optime se-  
cundum Regulas Christianismi adornatus status mul-  
tam pacem & largam quietem singulis & sic toti quo-  
que corpori ciuico præstare soleat. Quem in finem  
haud reprehendi potest labor illorum, qui patriæ la-  
boranti & Ecclesiæ gementi optimis succurrere con-  
siliis vel sanis doctrinis adiumentum præstare annitun-  
tuntur, hoc præsertim tempore, vbi corruptionum  
seges largissima vbique apparet. Hæc mecum animo  
repu-

reputans, haud alienum a studiorum meorum genere & fidelis ciuis officio esse existimaui, in praesenti disputatione experiri vires animi mei, & abusus quosdam circa vocationes ministrorum, ea qua par est modestia, notare, &, vt a nostris Euangelicis longe arceantur Ecclesiis, praoptare. Cum vero simul haud ignorem, quantum vestris inclytis, Maecenates summe venerandi, nominibus debeam, deinde quoque persuasissimum habeam, vobis imprimis illa deberi & vestro subiicienda esse patrocinio, quae in negotiis tanti momenti, quales sunt Ecclesiasticae, conscribuntur, quippe qui optime & prudenter iudicare conueuistis, quantum in rebus Ecclesiasticis distent a lupinis, non aliis, quam vobis, PATRES PATRIAE, haec meorum studiorum primitias consecrandas & dedicandas esse existimaui. Vos enim haecenus summa cum laude & politicae & Ecclesiasticae rei ita praefuistis, vt illa, quae antea in moderatoribus Reipubl. a me desiderata sunt, aequilibrio exactissimo a Vobis sint obseruata, & Patria nostra de tam egregiis Reipubl. columnis habeat, quod sibi gratuletur. Quamquam autem vires meas vbique tenues agnoscam, vestra tamen, Maecenates, fretus singulari indulgentia, a suscepto semel proposito non potui dimoueri, quin potius mihi certissima spes affulget, fore vt hoc quaecunque obseruantiae meae

stimonium, quod vobis mente deuota iam offero, indulgentissimo animo accipiatis, meque in posterum vestro Patrocinio dignemini. Sitis interim persuasissimi, me quoque illorum numero esse accensendum, qui ferriis apud Deum pro vestra salute suis precibus officium suum explere conantur, vt ita ex vestra incolumitate Patria nostra vberima capere possit in posterum incrementa.

VESTRORVM INCLYTO-  
RVM NOMINVM

Dab. Halæ d. 12.  
Mart. 1703.

Sincerus cultor

HERMANNVS MATTHIAS RADEMACHER.





DISPUTATIO IURIS ECCLESIASTICI  
DE  
INIUSTITIA VOCATIONIS FA-  
CTAE AD CLAMOREM PO-  
PULI.

§. I.



**Q**uemadmodum in optima *Tumultua-  
rie v'e vo-  
candi in  
Republ. &  
Ecclesia sunt  
vitanda.*

Republica in promouendis personis dignis ad munia Reipubl. principum cura imprimis huc intenta esse solet, ne per illegitimas vias, quæ infinitæ sunt, quis magis occupet officia publica, quam vt legitime eligatur & vocetur; ita quoque in Ecclesiastico cœtu omnino cauendum est, ne tales vocationum modi introducantur, admittantur, aut approbentur, qui ordinem in Ecclesia tollunt, iuridiuino & humano aduerfantur, aut aliis vitiis & iniquitatibus laborant. Tumultuaria enim vocatio aduerfatur naturæ & indoli genuinæ Ecclesiæ, & cum vocatione diuina, quæ sub externa latitare debet, nihil quicquam commune habet. Non itaque sufficit, aliquem nec precibus nec pretio aut aliis subdolis artibus peruenisse ad hoc sacrum munus, sed etiam, simul requiritur, vt modus eligendi & vocandi Pastorem Ecclesiæ sit ordinatus, placidus, susceptus precibus ad Deum ardentissimis, ita vt exinde iudicari possit, omnia fieri

A

fieri ex sola Numinis diuini ordinatione & prouidentia clementissima.

*Granter  
hic peccari  
ostenditur.*

§. II. Verum & circa hunc modum varie peccari ab illis, quos cæcus agit impetus aut imprudens rapit libido, proh dolor! praxis quotidiana testatur, vt exempla non e longinquo petere debeamus, cum præsentia nimium quantum rem declarant. Edisseruit nuper publice Dn. Præses de iniquitate nouæ alicuius Cautelæ, videlicet, *Renouationis Vocationis resignata*, quæ primo intuitu sat blanda & elegans videbatur, sed interius considerata & examinata multis iniquitatibus labore deprehensa fuit, quas æquisimo iudicio agnouerunt veritatis pietatisque Patroni. Præbuit tamen in simul illa disputatio occasionem, vt Dn. Præf. quædam §. 28. adferret de vocatione facta *ad Clamorem populi*, & simul strictim tumultuarium hunc modum vocandi reprehenderet. Sed pleraque in hæc ardua materia tunc quidem inexcussâ relinqui debuerunt, ne nimis transgredere-tur cancellos, quibus se inclusum videbat. Hinc consultius esse nemo negabit, peculiarem huic materiæ laborem destinare & de hac pessima ratione procedendi, quatenus ex iure sacro illustrari & in ordinem redigi debeat, speciatim quasdam obseruationes ecclesiasticas conscribere. Et certe haud inconuenienter hæc, quæ nunc excutienda erit, materia priorem statim subsequitur, cum vocatione facta *per talem renouationem* præteritam, & hæc, quæ fit *ad Clamorem populi* eandem ordinis turbationem inuoluant, nihilque iuris in se contineant, hoc vnico forsan discrimine attento, quod illa via vocandi iniquitates magis habeat latentes & ad *μυστήρια τῆς ἀποκάλυψης* referri debeat, hæc vero manifestiorem in se feueat iniuriam, eoque magis detestanda sit, vt ex subsequenti-bus apparebit.

*Methodus  
dicendorum.*

§. III. Vt vero eo rectius constare possit, qua ratione vocatione ad clamorem populi dicatur fieri, ita commode hac in materia procedi posse arbitror, vt ante omnia (1) inquiramus, quale ius Populo in vocatione ministrorum Ecclesiæ competat, si

vo-

vocatio adhuc penes totam sit Ecclesiam. (2) Quale ius ei com-  
petat, ubi ius Patronatus est penes alium (3) quomodo populus  
in exercitio iuris sui versari debeat, ut vocatio dicatur legiti-  
ma & non turbulenta aut tumultuaria (4) quomodo acclama-  
tiones populi differant a Clamoribus eius. (5) De ipsa illegitima  
via vocandi per clamores, ubi, quid ius circa eiusmodi impor-  
tunos clamores constituerit, & quale sit officium magistratus  
& Ministerii, ulterius inquirendum, & denique (6) quid iu-  
dicandum de eo, qui ad tales clamores vocatus est in Eccle-  
sia, an scilicet salua conscientia tale munus suscipere queat?  
Intra hos cancellos, quos mihi ipse iam circumscripsi, me conti-  
nebo, & ea qua par est, animi æquitate, totam causam tem-  
perabo.

§. IV. Facile vero apparet, nos hic sollicitos esse de *vo-* *Vocatio ex-*  
*catione* Ministrorum externa, quæ nihil aliud est, quam *libera terna quid?*  
*ordinata, & secundum conscientiam pie suscepta designatio persone*  
*ad officium sacrum idoneæ, facta ab Ecclesia in hunc finem, ut ele-*  
*cta sacris præficiatur, populoque in his, quæ ad salutem æternam fa-*  
*cere possunt, inseruiat.* Negotium certe, ad quod fubeundum  
talis persona destinatur per vocationem, ita est comparatum, ut  
facile appareat, quanta deliberatione & præcautione opus sit in  
constituendis Ministris Ecclesiæ, & quantum totius Ecclesiæ inter-  
sit, ne talis vocatio aliquod vitium in se contineat, sed pura sincere  
& absque omnibus animi inordinatis moribus cum precibus  
ad Deum ardentissimis suscipiatur. Sed nolo hic in limine ube-  
riorem definitionis explicationem suppeditare, quippe quæ satis  
explicabitur ex singulis membris §. *antec.* tactis & iam expli-  
candis. Posita tamen hac definitione, statim apparet, quid sit  
*vocatio facta ad Clamorem populi: cum hæc enim, ut inferius ex-*  
*plicabitur, sit contraria vocationi legitimæ, sine omni dubio con-*  
*traria debet habere prædicata. Est itaque vocatio facta ad Cl-* *Vocatio fa-*  
*morem populi nihil aliud, quam inordinata, vi metuque extorta &* *cta ad Cl-*  
*contra conscientiam facta obtrusio persone Ecclesiæ, ut illi præficia-* *morem po-*  
*tur puli quid*  
*fit?*

*tur populoque quidem in sacris præst, sed ita ut simul populi moribus inserviat & magis faciat ea, quæ sunt populi, quam quæ sunt Dei.* Veritas singulorum membrorum in hac definitione occurrentium ex post dicendis apparebit, id tantum hic in antecessum quoad finem, ut præconcepæ occurram opinioni, prænoto, non posse talem vocationem purum sincerumque habere finem, ideo enim talis suscipitur vocatio, ut populus habeat Clerum fauentem, peccatis indulgentem ut bene animaduertit Chrysof. *lib. 1. advers. Iouian.* dum fateatur, *in comprobandis sacerdotibus unumquemque suis moribus fauere, ut non tam bonum quam sui similem querat præpositum.* Sufficit itaque intentio plebis per turbas eiusmodi Ministrum Ecclesiæ quærentis, licet forsân aliquando se ipsum decipere possit, dum DEUS ex singulari misericordia vocati cor ad pœnitentiam trahit, ut postea valde condoleat populus, se non sui similem, sed plane alium inuenisse. Sed forsân rariora erunt exempla.

*Populus non est excludendus a vocatione Ministri.*

*Probat ex historia primitiua Ecclesiæ,*

§. V. Apparet itaque ex hisce duabus definitionibus inter se contrariis, populum neutiquam excludendum esse a vocatione ministrorum Ecclesiæ, sed illi ius concurrendi competere. Est enim Ecclesia Collegium aliquod Auditorum & Doctorum æquale, ergo etiam actus ad totum Collegium spectantes auditoribus, qui ex populo consistunt, non sunt denegandi. B. Dn. Brunnem. *de iure Eccl. lib. 1. c. 5. §. 4.* Et hanc libertatem in Ecclesia primitiua semper populo illibatam seruata esse, historia ecclesiastica, Conciliorum decreta, ipsumque ius Canonicum, laicis alias hoc ius denegans, abunde testantur. De Apostolorum temporibus testantur acta eorundem. Stephani electio facta esse dicitur a tota *multitudine Act. VI. 5.* ad quam hunc in finem erat conuocata *vers. 3.* Idem inculcatur *2. Cor. VIII. 19.* Id quod vltterius illustrari potest ex *Constitutionibus apostolicis*, quæ Clementi vulgo adscribuntur, vbi *lib. 8. c. 4* diferte habetur, populum omnino concurrere debere ad vocationem

tionem ministri, & quamuis autoritas harum constitutionum a plurimis in dubium vocetur, apparet tamen, easdem esse antiquissimas, & saltim, vel ad hoc adhiberi posse, vt sint quoddam testimonium historicum status Ecclesiae primitiuae, quatenus non abhorrent a fide historica, non diffitente Ziegler. *tr. de Episc. cap. 1. §. 8.* Sane Cyprianus *lib. 1. epist. 4.* plenissime hoc comprobat scribens: *propter quod plebs obsequens praeceptis dominicis Deum metuens a peccatore proposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificio miscere, quando ipsa maximam habet potestatem vel eligendi dignos sacerdotes vel indignos recusandi, quod & ipsum videmus de diuina descendere potestate, vt sacerdos plebe presente sub omnium oculis eligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio probetur.* Non iam cum Gonzalezio ad *c. 2. X. de electione n. 12.* disquiram vtum loquatur Cyprianus de praepito diuino, sufficit enim vel ex hoc testimonio constare, in primitiua Ecclesia constanter creditum fuisse, populum omnino concurrere debere ad electionem. Quin & ipsi Ethnici prouocarunt ad hunc morem veterum Christianorum, vt Lampridius *in vita Alexandri Seueri* refert, rescripsisse eundem insimulque admonuisse populum, vt si quis quid criminis haberet contra eos, qui prouinciis praeponerentur, libere possint id manifestare, *cum id Christiani & Iudaei facerent in pradicandis sacerdotibus, qui ordinati sunt.* Praetereo breuitatis studio alia testimonia, quae plenissime a Marco Antonio de Dominis *de Republ. Eccl. P. 1. lib. 3. c. 3.* & Zieglero *tr. de Episc. cit. 1.* sunt congesta.

§. VI. Conciliorum Decreta idem quoque infinitis locis testantur, ex quibus principaliora tantum hic adducere lubet. In Concilio Aureliensi *c. 7.* ita disponitur. *In ordinandis metropolitanis Episcopis antiquam institutionis formulam renouamus. Quam per incuriam omni modis videmus omissam. Itaque metropolitanus Episcopus a conprovincialibus Clericis vel populis electus,*

Conciliorum  
decreta i-  
dem testan-  
tur.

congregatis in unum omnibus comprouincialibus Episcopis ordinetur, ut talis Deo propitio ad gradum huius dignitatis accedat, per quem regula Ecclesie in melius aucta plus floreat. In Concil. Paris. I. Anno 580. c. 6. decernitur ita: Nullus civibus iniuitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi & Clericorum electio plenissima quæserit voluntate, non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem contra Metropolis voluntatem Episcoporum comprouincialium ingerratur. Idem grauiter inculcatur in concil. Aurel. V. c. 3. & 4. vbi consensus plebis & Cleri semper coniungitur, vt & Cabilonensi c. 10. conf. Schilter. de libert. Eccl. German. lib. 2. c. 3. & M. Ant. de Domin. cit. l. §. 30. seqq.

*Juris Canonici assensus adducitur.*

§. VII. Mirandum vero omnino est, quod Gratianus tam plurima testimonia de hac veritate inseruerit Decreto, cum tamen Ius Canonicum alias vocationem hanc soli Clero & turbae rase vindicare acriter soleat. Sed forsitan singulari Dei providentia hoc factum est, vt ita appareat, qua ratione postea discessum fuerit a veteribus institutis & libertas Ecclesiis erepta. Sic enim Gelasius P. in c. 11. D. 63. decernit: *Diuersis ex omnibus saepe dicti loci Parochis Presbyteros, Diaconos & VNIVERSAM TVRBAM vos oportet saepius conuocare, quatenus non prout cuilibet libuerit, sed concordantibus animis talem, vobis admonentibus, sibi quarant, sola diuinitatis attentione personam, quam nulla contrarietas a constitutis possit reuocare praescriptis.* Nicolaus Papa idem constituit in c. 13. D. 63. inquit: *Episcopus per Amiliam non consecres, nisi post electionem Cleri & populi.* Coelestinus vero in c. 13. D. 61. expressius praecipit, *ne ullus iniuitis detur Episcopus, sed Cleri plebis & ordinis consensus & desiderium requiratur.* Eundem fere in modum praescribit Gregorius Barbarae Episcopo in c. 16. D. 62. hisce verbis: *Ideo dilectio tua ad praedictam Ecclesiam properabit & assiduis adhortationibus Clerum PLEBEMVE eiusdem Ecclesie admonere festinet, vt REMOTO STUDIO, vno eodemque consensu talem sibi praeficiendum expetant sacerdotem, qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri*

riri, & venerandis canonibus nullatenus respuatur. Quin & Leo Papa I. ad Anastasium Episcopum in c. 19. D. 63. rescribens præcipit, vt omnia Clericorum atque ciuium voluntate discussa in electione fiant, quod idem Papa in c. 27. D. 63. ad Episcopos Viennenses rescribens repetit inquiring: *Vota ciuium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum in ordinationibus sacerdotum expectantur.* PER PACEM ET QUIETEM sacerdotes qui præfuturi sunt postulentur, teneatur subscriptio Clericorum honoratorum testimonium ordinis consensus & plebis. Adducitur præterea in c. 34. D. 63. egregium aliquod testimonium ex lib. I. Capit. Caroli & Ludov. Imp. c. 84. vbi imperatores ita disposuere: *Sacrorum Canonum non ignari, vt in DEi nomine sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore, assensum ordini Ecclesiastico præbuimus, vt scilicet Episcopi per electionem Cleri & POPVLI secundum statuta Canonum de propria Diocesi remota personarum, & munerum acceptione ob vite meritum & sapientie donum eligantur, vt exemplo & verbis sibi subiectis vsquequaque sibi prodesse valeant.* Conf. c. 4. D. 65.

§. VIII. Ex tot itaque testimoniis apparet, Ecclesiæ vniuersæ immotum alicud ius semper ab antiquo competisse circa constitutiones Episcoporum, quod & libertati Ecclesiis Christianis propriæ exacte conuenit. Cum enim hic omnium, versetur interesse, merito quoque omnes concurrere debent, ne alias aliquis inuito populo obtrudatur, & ita misera turba eo magis ab obsequio debito abducatur. Quæ enim potest esse fiducia auditorum erga Doctorem, quem inuiti audiunt, cuius admonitiones ægre ferunt? Quis potest sperari fructus emendationis, si nullus sit amor erga Ministrum Ecclesiæ? Vbi vero amor, quando coactus populus assumere debet Pastorem? Ceterum non quemlibet dissentum & assensum populi hic intelligi debere satis apparet. Quamuis enim ex iure libertatis Ecclesiæ competentis ius eligendi habeat, illa tamen libertas debet esse ordinata, non coniuncta cum petulantia aut

pra-

prava libidine, alioquin enim male rebus Ecclesiae consulere-  
 tur, si promiscuae plebis libidini in vocatione indulgeretur.  
 Sed de hoc postea vberius dicendum erit.

*Quid per  
 ius Patronatus popu-  
 lo ademptum.*

§. IX. Haec tamen libertas populi valde restricta est, in-  
 troducito iure Patronatus, quod proinde in totum damnat &  
 reiicit Gisb. Voet. *P. 2. lib. 3. tr. 2. c. 3. seq.* cuius tamen senten-  
 tiam iam quidem non possum facere meam, praesertim cum  
 ipse Voetius non tam populi quam cleri causam aperte agat, &  
 supposita eius hypothese populo haud consulatur, si vel maxi-  
 me cum ipso hoc ius reprobemus. Non nego, habere il-  
 lud sua incommoda, habere etiam quandoque commoda, vt  
 infra declarabitur; & tolerari haec potest, si debito mo-  
 do exerceatur. Quamuis enim toti Ecclesiae alias ius vocandi  
 ab antiquo competiit, non ita tamen ei competit, vt non vel  
 expresse vel tacite primum ius quoddam circa vocationem  
 alicui possit demandari. Neque enim in totum populo liber-  
 tas circa vocationes Ministrorum aufertur, neque aufer-  
 ri debet, sed etiam hoc casu superest ei ius approbandi aut im-  
 probandi praesentatum. Ad tumultus enim & dissensiones  
 evitandas haud raro in societatis solet recipi, vt sit aliquis  
 qui primum habeat suffragium, quique de rebus agendis primo  
 loco suam dicat sententiam. Quod si itaque ius Patronatus hoc  
 modo exerceatur, vt ipsa praesentatio nihil aliud sit, quam  
 primum aliquod votum patroni circa personam eligendam,  
 nihil adeo iniquitatis haec in eo deprehendo, quoni-  
 am etiam hoc modo saluum manet vel saltem manere deberet  
 populo ius aliquod seu concurrentiae ad ipsam vocationem,  
 quod bene obseruat Zieglerus *de episc. lib. 2. c. 3. §. 13.* Et licet  
 dissimulari haud possit, saepe quid vitii deprehendi in origine  
 & introductione iuris Patronatus, vt declaratum in *Iure Pa-  
 roch. Sect. 3. c. 1. §. 14. seqq.* Imo saepissime in exercitio huius iu-  
 ris iniuriam inferri populo, & per indirectum ei plane aufer-  
 ri concursum in eligendo, id tamen ad omne ius patronatus da-

*Quomodo  
 recte exer-  
 ceatur?*



damnandum applicari nequit, & potius referri debet ad vitia personarum prave hoc ius exercentium. Imo non omnem originem Iuris Patronatus damnandam esse vel inde suspicor, *Origo iuris Patronatus ex turbis plebis.* quod aliquando haut iniuste populo, libertate sua abutenti, & clamoribus turbisque vocationem peragenti, ius vocandi restrictum, eique certi fines & limites praescripti, ne in posterum vinea Christi turbulentis exponeretur turbis & seditiosis electionibus. Quo etiam videtur inclinare M. A. de Dominis de Republ. Eccl. P. 1. lib. 3. c. 3. §. 50. cuius verba adscribere e re esse duco: *Contra hunc morem electionum, quatenus laicos & plebem includit, non diffit cor in Ecclesia interdum fuisse reclamatum, abususque non leves ex plebis leuitate electiones saepe aut turbasse aut deturpasse: ut visum est in aliquot exemplis iam a me productis, ubi per seditiones illa interdum non sine schismate facta sunt. Et quia contingebat, ut plebs laicos saepe contra statuta Canonum ad Episcopatum posceret, ne id fiat acrius monet Caelestinus vane in hoc plebi inscia & imprudenti mos geratur D. 62. c. docendus. Docendus, inquit, est populus non sequendus: nosque si nesciunt, eos quid liceat quidue non liceat commonere, non his consensum praeberere debemus. Non itaque auferendam censuit Caelestinus potestatem eligendi, sed MODERANDAM, ut, qui praesunt Episcopi, plebem instruant, quales personas debeant eligere & quales non sint iuxta canones eligenda & c. Imo aperte huc prouocat Sixtus Senensis Biblioth. lib. 5. annot. 118. inquit: Fecerunt id olim tempore Leonis Pape & Apostolorum temporibus in Electione Matthiae, tunc enim hoc facile multitudini fidelium donari poterat, quando fidelium populus erat moderatus, grauis & publicae utilitatis studiosissimus. Nunc autem cum plebs bestia sit multorum capitum, factionibus & intentionibus intenta, id ipsum non nisi maxima Ecclesiae perturbatione concederetur. Evidentissime certe apparet, Pontificium Clerum inde occasionem arripuisse vel ex hoc fundamento laicis eripiendi ius liberum vocandi, nam etiam inferius aliquot exemplis ostendendam, eo imprimis tempore seditiosas factas fuisse saepius*

B electi-

electiones, vbi Episcopales Cathedræ inceperunt esse solum aliquod aureum & imperiosum. Sed hoc interim negandum haud est, Clerum grauius hic peccasse, excludendo eos in totum a iure vocandi, & hoc eo magis, quia ipse fuit vt plurimum in culpa, vt tales turbæ & Clamores in eligendo fierent, vt infra ostendam apertius.

*Quinam ius  
vocandi hac  
occasione sibi  
vindicaue-  
runt.*

§. X. Ceterum non vniuersum ius vocandi occasione eiusmodi seditiosarum vocationum sibi tunc potuit vindicare clerus, sed facile augurari licet, partim Principem, partim etiam inferiorem magistratum vocem quandam primariam & directionem electionum sibi adscripsisse, & quidem fortioribus fundamentis, ac quidem Clerus Pontificius. Principi enim competit ius circa sacra & vi illius iuris etiam curam gerere debet, vt omnia in Ecclesiis bene & ordinate, & absque omni tumultu fiant. Quod si itaque videat, Parochianos nimium inclinare ad turbas & seditiones, officium suum merito interponit, talesque præcautiones adhibere debet, vt salus Reipubl. & Ecclesiæ salua & incolumis permanere possit. Et quoniam inferiori magistratui simul quædam cura in Ciuitatibus concredita est, saltem vt Ciuitas sit pacata & quieta, hinc facile fieri potuit, vt etiam Senatus hac occasione ius Patronatus ad se traxerit, & Principibus coniuuentibus & tacite consentientibus hoc ius exerceuerit. Hinc in plurimis ciuitatibus Senatui ius Patronatus competit: in plurimis vero Principi ius vocandi adscribendum. Vnde & in hunc finem olim quoque Imperatorum præsentia in Conciliis desiderabatur, vt non tantum præessent illudque dirigerent, sed etiam sua auctoritate & præsentia impedirent, ne Episcopi verberibus sed verbis disputarent, nec clamoribus suis ingentibus omnia confunderent, quod sæpius factum esse acta Conciliorum testantur. Noni quidem plures adhuc alias esse causas, propter quas ius Patronatus laicis concessum est, vbi speciatim referendum est mysterium Ecclesiæ ditescendi, quod vtique admitti debet, sed propterea non existit-

existimandum, omne ius Patronatus dotationibus & fundationibus esse adscribendum, sed quoddam his, quoddam aliis causis. Imo potuit fieri, ut Clerus eo magis consentiret, ut ius patronatus sibi quis posset acquirere dotatione, ut omnes seditionum & turbarum amputentur causæ & fomenta. Confirmor vero eo magis in hac sententia, considerans mecum, sæpe Pontificem minatum fuisse plebi, se velle eripere ei electionem, si inordinate elegerit. Adducam tantum hic exemplum Gregorii VII. qui decretum fecit, quod recitat M. A. de Dominis *P. 1. lit. 3. c. 3. §. 45.* ut quidem Clerus & populus absque omni seculari ambitione timore atque gratia, possit eligere, sed si corruptus aliquo vitio aliter agere præsumisset, non tantum electionis perperam factæ fructu, sed etiam electionis protestate carere deberet. Quidni iustiore ratione principes potuere seditiosis & clamantibus populis ius eligendi si non auferre, saltem ita restringere, ne in posterum ullæ essent meruendæ turbæ. Refert quoque idem Autor rei Ecclesiasticæ peritissimus §. 13. Nazianzenum suo tempore iam optasse, ut electiones magis a Clero, quam potentioribus & plebe fierent, ob tot turbas & clamores, in electionibus Basilii tunc quidem occurrentes, quod etiam postea ita factum est, ut quidem Ius Patronatus laicis non penitus eripi potuerit, sed tamen apud Pontificios in totum postea populus exclusus fuerit ab eligendo.

§. XII. Haftenus itaque in nostris Ecclesiis ius Patronatus vel propterea merito approbandum & retinendum, ne idem fatum nostræ experiantur, quod antiquiores Ecclesiæ sæpe cum summo detrimento perpessæ sunt. Neque enim existimandum est, plebem nostri temporis esse moratiorem aut pietati magis addictiorem ac quidem olim fuit. Nam & hodie adhuc eadem narratur fabula, & exempla huiusmodi turbarum in vocationibus occurrentium apud nos non adeo rara sunt, ut merito ad plebem hodiernam applicari quoque possit illud Ambrosii *Hexan. L. 5. c. 21.* dicentis: *Non merita virtutis expendit,*

*In § quatenus Ius Patronatus in nostris Ecclesiis retineri possit?*

*nec publica utilitatis ( adde: Ecclesiæ ) emolumenta rimatur, sed mobilitatis nutat incerto: Cui consona sunt, quæ non inepte hac de re edisserit Chrysoft. in c. 1. Iob. Homil. 2. aïens: Quod si quid sit populus percontaberis? Quiddam, dicent, tumultus perturbationisque plenum, i. e. stultitia maiori ex parte constans atque compositum temere, ad instar fluctuum maris varia & pugnantia sententia sepe numero iactatum. Et imprimis metuendæ tales turbæ circa religionem & quæ eius cultum respiciunt, præsertim vbi plebs amore alicuius ex Clero capta est: vt non inepte iam suo tempore dixerit Curtius lib. 4. c. 10. Multitudo impotens, seu, mutabilis, vbi religione capta est, melius vatibus, quam ducibus suis pareat.*

*Quodnam ius populo competat post introductionem iuris Patronatus?*

§. XII. Sed tamen etiam sic, vbi ius patronatus introductum, populo quoddam ius saluum esse debet. Videlicet hætenus euictum, populo ab antiquo competiisse ius vocandi, sed illud postea valde diminitum & restrictum esse ob turbas circa electiones occurrentes: merito itaque ius patronatus ita a patronis exercendum esset, vt cogitarent, sibi tantum competere *primariam* in eligendo *vocem*, & ita se dirigere actum eligendi, ne inordinate procedatur, adeoque se merito ita audire debere parochianos, vt possent libere iudicare de persona vocanda: Sed vero & hic fatendum est, solere etiam sæpe peccari a patronis, vt etiam hi non quærant in præsentando salutem Ecclesiæ, sed suam, præsentantes tales, qui vel coniunctione vel affinitate vel alia necessitudinis ratione ipsis sunt deuincti, & quamuis tales soleant præsentari nonnunquam plebi, dum candidatus *δομινασται* concionem hunc in finem ad populum habere debet, & postea iudicio & censuræ populi subiici, tamen vel illa vnica concio haud est sufficiens, vt de eius donis & probitate vitæ iudicari possit, vel sæpe plebis dissensus non attenditur, sed patroni rationes tantquam potentiores, quia forsân ipse potens est, tantum attenduntur. Hoc itaque modo si ius patronatus exerceatur, idem

periculum sustinet Ecclesia, quod sustinet, si seditiosa plebis electioni negotium committitur, hoc vnico forsã excepto, quod turbæ non tantum Ecclesiæ, sed simul etiam Reipubl. noceant. Sed eiusmodi patroni tunc merito grauioribus digni sunt pœnis, quo magis primaria sua voce abutuntur.

§. XIII. Vtrobique itaque, siue supponas Ecclesiam, *Placide a populo electio est peragenda.* patronatam siue liberam, populus in electione, quamuis diuerso modo, concurrere debet, sed cum ratione, modestia & seriis ad DEum fuis precibus. Arduum enim est negotium, agere de eligendo tali, cui cura animarum demandanda, hinc non in vanum fieri existimandum est, quod in Ecclesiis ante electionem preces ad Deum solennes fundantur, quibus inuocatur, vt velit ipse corda eligentium ita dirigere, vt eligant talem, qui pascat gregem cum omni fidelitate & sanctimonia quemadmodum Apostoli quoque fecerunt in electione Matthiæ *act. 1.34.* Vnde imprimis opus est, vt in tranquillitate electio fiat *Cyprian. lib. 1. epist. 3.* Deus enim est Deus pacis & tranquillitatis & omnes inordinationes & turbas odio habet. Hinc Papa Leo I hortatur Episcopos Vienneſes in *cap. 27. D. 63. vt per pacem & quietem sacerdotes postulerent.* Equidem vix fieri potest, vt tales electiones absque omni contradictione & dissensu procedant, sed tamen & hic semper paci studendum, & quilibet alterius rationes dissensus placide & cum mansuetudine audire debet, etiam tunc, vbi ius patronatus est penes alium, vti satis optime statutum legimus in *concil. Carthagin. III. can. 40.* quem Gratianus repetiit in *c. 5. D. 23.* his verbis: *Illud statuendum est, vt quando ad eligendum Episcopum conuenerimus, si qua contradictio fuerit suborta, (quia sepe talia sunt facta apud nos) non presumant ad purgandum eum, qui ordinandus est, tres tantum accedere, sed postulerentur ad numerum supra dictum duo vel tres in eadem plebe, cui ordinandus est, discutiantur primo persona contradicentium: postremo etiam illa, qua obiciuntur pertractentur, & cum purgatus*

tus fuerit sub aspectu publico, ita demum ordinetur. Quæ omnia si amoris & pacis studio ita obseruata fuerint, nihil desiderari debet in tali electione conf. Gisp. Voet. *Polit. Eccl. P. 2. lib. 3. tr. l. c. 5. p. 562.*

Quomodo  
piv suscipi-  
enda voca-  
tio ministri  
Ecclesie.

§. XIV. Et quomodo aliter eligentes certi esse possunt de concursu diuino, qui imprimis in hoc arduo negotio requiritur, quam si cum Deo, autore pacis, tranquillitatis, amoris & spiritu mansuetudinis hoc arduum aggrediantur negotium? Cessante autem concursu DEI, misera turba decipitur, & sibi ipsi ruinam æternam ædificat, dum sic impium infidelem carnalemque pastorem gregis eligit, qui se non oves pascit. Grauius satis hac de re loquitur Cyprianus *lib. 1. epist. 4.* inquiens: In ordinationibus sacerdotum non nisi immaculatos & integros Anistites eligere debemus: qui digna & sancte sacrificia DEO offerentes audiri in precibus possint, quæ faciunt pro plebis Dominicæ incolumitate: cum scriptum sit Jo. IX. *Deus peccatorem non audit, sed si quis Deum coluerit, & voluntatem eius fecerit, illum audit.* Propter quod plena diligentia & exploratione sincera oportet eos ad sacerdotium Dei deligi, quos a Deo constet audiri. Nec sibi plebs blandiatur, quasi immunis a contagione esse delicti possit, cum sacerdote peccatore communicans, & ad iniustum atque illicitum præpositi sui Episcopatum consensum suum commodans & c. post sequuntur illa quæ supra §. 5. iam adducta ex eadem Cypriani Epistola. Quod si itaque ipse populus consensum suum electioni impii Ministri Ecclesiæ commodans peccat & in contagionem peccatorum trahitur, certe apparet impii hominis electionem haud posse esse diuinam, aut legitime factam, si enim esset legitime facta, nullū adestet in populo peccatum. Valde ieiuna itaque esset obiectio, si quis asserere vellet, in hoc ipso nos transire in castra Donatistarum. Huic enim respondere possemus, illum non intelligere quid sit Hæresis Donatistarum, vel saltim nostro iure peteremus, vt accuratorem consequentiam

An impii vocatio sit legitima?

faceret secundum principia Logices, nec diuersas propositiones confunderet. Diuersa enim sunt: *utrum vis verbi diuini dependeat a ministri qualitate*, quod negatur: & *an ministri impii electio & vocatio sit illegitima & non diuina*, quod affirmamus nos & nobiscum faniores ex Theologis nostris.

§. XV. Quodsi itaque in pace & tranquillitate peragenda est electio Ministrorum Ecclesiæ, quanto turpior & detestabilior erit facta vocatio per Clamores & turbas seditionesque? Verum ne statim in limine erremus in perstringenda turpitudine huiusmodi improbandæ vocationis, non puto confundendam esse vocationem, quæ fit accedentibus populi acclamationibus, cum illa quæ fit ad seditiosum clamorem populi. Illa præcipue tunc fit, quando populus testandi gaudii, & approbationis gratia ei, qui electioni subiicitur, & sic a præsentantibus approbat, & sic consensum suum plenissime contestatur, quales acclamationes in actis ordinationis Erodii referuntur interuenisse, Augustino eum populo in Ecclesia Africana proponente, vt sibi succederet, & hoc referente *Epistola 110. Ita populo acclamatum est trigesies sexies: Deo gratias. Christo laudes, exaudi Christe. Augustino vita, dictum est tredecies, te patrem, te Episcopum: dictum est octies, dignum est iustum est, dictum est vicies: bene meritus, bene dignus.* Similes acclamationes in Electione Ambrosii factas fuisse testantur Historiæ Ecclesiasticæ; Quin & Hieronymus a tota plebe & Clero dignus acclamatus, qui summisacerdotii munere fungereur Vid. Guil. Caue in *Histor. liter. script. Eccl. p. 153.* vt aliorum exempla non tangam. Et huc commode refertur *χειροτονία*, de qua in *Act. Apost. XIV. 23. 2. Cor. VIII. 19. & concil. Laodic. c. 5.* & significat commune & concurs suffragium populi, per manus porrectionem declaratum. Traductam vero hanc vocem ex Atheniensium Republica, eruditi obseruant, vbi magistratum alii constituebantur per sortem, inde dicti *αληγοται άρχεις*: alii per *χειροτονίαν* i. e. manuum porrectionem, quæ in sublime a populo,

*Differentia inter vocationem concurrente populi acclamatione & factam ad clamorem populi.*

pulo, dum aliquem probaret, fieri solebat, quinde *χεγορονται* vocabantur, animaduertente Gisberto Voet. in *Polit. Eccl. p. 2. lib. 3. tr. 1. c. 5. ab initio p. 560.* Displicuit tamen hic mos Atheniensium Ciceroni, id quod ex eiusdem oratione pro Flacco apparet, ubi ita: *Sic sunt expressa ista preclara, qua recitantur psephismata, non sententiis neque autoritatibus declarata, nec iureiurando constricta sed porrigenda manu profundendo que clamore multitudinis concitata,* ex quibus verbis apparet, eum indignum grauitate Romana existimasse hunc promiscuum clamorem multitudinis, vti iudicat Ziegler *de Episcop. lib. 2. c. 1. §. 36. p. 252.* Et tamen tales plausus vel tumultus non fuisse alienos a foro Romano, plenius Plinius *Epist. 38.* describit, vbi ipse tandem iudicium suum addit his verbis: *Opus est enim signo, apud non intelligentes, ne audientes quidem; nam plerique non audiunt, nec vlli magis laudant.* Interim morem hunc per porrectionem manus receptam fuisse in electionibus ministrorum in primitiua Ecclesia satis abunde Balsamo & Zonaras in *can. 1. Apostol. testantur* his verbis: *Olim ipsum suffragium etiam nominatum est χεγορονται.* Nam cum populis Ciuitatum licebat eligere Presbiteros, conueniebat ipse populus, & alii quidem hunc, alii vero deligebant illum: quatenus autem plurimum suffragium vinceret, eligentes ferunt solitos fuisse extendere manus & per manus ita porrectas numerabant, qui vel hunc vel illum delegissent &c. Quo etiam refero, quod in *constitut. Apostol. lib. 8. c. 4.* dicitur: *rursus tertio interrogent, utrum sit ministerio dignus & cum tertio annuerint, petatur ab omnibus, ut prebeant SIGNVM ASSENSVS.*

ma exempla adducuntur.

§. XVI. Fuerunt itaque satis frequentes huiusmodi acclamationes populi, de quibus plenius consuli potest Ferrarius *de veterum acclam. & plausu lib. 5.* Quin & regibus acclamatum fuisse infinitis posset illustrari exemplis, nisi id forsitan præter instituti rationem esse animaduertentem, Vel vnicuique hic sufficiat de Ottone M. in cuius electione Bucholcerus *indic. Chronol. ad Ann. 986.* Moguntinum sic loquentem inducit: *En adduco*



adduco vobis a Deo electum & a Domino rerum Henrico olim designatum, nunc vero a cunctis principibus factum Regem, Ottonem; si vobis ista electio placet, dextris in calum elevatis significate. Ad hac omnis populus dextras in calum levans CVM CLAMORE VALIDO imprecati sunt prospera nouo Duci &c. Alia exempla habet Excell. Dn. Buddeus *Disp. de eo quod decet circa solemnia princ.* §. 28. Dn. Becmann *Diff. de Laud. Regal. c. 3.* Sed vt ad acclamationes sacras, vt ita loquar, redeam, non tantum illas adhibitæ fuerunt in electionibus Episcoporum, sed etiam finitis concionibus & Declamationibus Patrum non raro frequentatæ. Distinguis hoc ex Hieronymo, qui *lib. de vita Clericorum ad Neopolitanum* de Christianis concionatoribus ita loquitur: *Ne queras pueriles declamationes, sententiarum flosculos, verborum lenocinia, & per fines capitulorum singulorum acuta quædam breuiterque conclusa,* QUÆ PLAVSUS ET CLAMORES EXCITENT AUDIENTIVM. Sed abutsum quoque harum acclamationum idem Hieron. *cit. l.* declarat inquit: *Docente te, non clamor populi sed gemitus suscitetur &c. Nolo te declamatorem esse & rabulam, garrulumque sine ratione, sed misteriorum peritum, & sacramentorum Dei tui eruditissimum, verba voluere & celeritate dicendi apud imperitum vulgus, admirationem sui facere indoctorum hominum est. Attrita frons interpretatur sæpe, quod nescit, & cum aliis persuaserit, sibi quoque usurpat scientiam. Præceptor quondam meus Gregorius Nazianzenus rogatus a me, vt exponeret, quid sibi vellet in Luca Sabbathum δευτσεγόπρωτον, eleganter lussit; docebo te, inquit, super hac re in Ecclesia: in qua mihi omni populo acclamante, cogoris inuitis scire, quod nescis. Aut certe si solus tacueris, solus ab omnibus stultitie condemnaberis.* Hactenus Hieronymi verba, quæ certe satis abundeque monstrant, tales acclamationes sæpe fuisse imprudentes, & ibi etiam factas, vbi nequidem populus satis intellexerit illa, quæ proposita erant; quod aliis quoque exemplis illustrat Franciscus Bernardinus Ferrarius *de veterum acclamat. & plaus. lib. 5. c. 4.* quem librum *romo 6. Theauri antiquit. Roman.* inseruit B. Io. Georg. Græuius. Ceterum qui alia testimonia hanc rem declarantia percurrere de-

C

fide-

fiderat, adeat prælaudatum Ferrarium *cit. l. c. 2.* vbi id variis declarat exemplis, & simul *in capitibus seqq.* declarat, quam inconditi & inordinati sæpe hi clamores fuerint, vt quandoq; concio propter continuos clamores perfici nullo modo potuerit, & denique *c. 11. & 12.* ostendit, cur SS. patres huiusmodi clamores in concione sacra tolerauerint?

*Iudicium*

*de hisce ac-*  
*clamationi-*  
*bns.*

§. XVII. Equidem eos aliquando in electionibus feliciter cessisse non inepte iudicat Brunnem. *de iure Eccl. l. 1. c. 5. §. 8.* vt adeoque propterea hæc cum vocationibus ad clamorem populi inordinatum factas confundendæ haud sint, quo etiam videtur respexisse Hormisda Pontifex *epist. 4. c. 2.* ad Episcopos Hispaniæ ita rescribens: *Istam in sacerdotibus ordinandis seruet electionem, vt in graui murmure populorum diuinum credatur esse iudicium: ibi enim DEUS, vbi simplex sine prauitate consensus.* Hæc verba vltima legitimant Pontificis assertum, adeoque tota rei substantia vel in hoc consistit, vt talis acclamatio procedat ex corde puro sincero & vnice ad gloriam Dei intento. Id quod si deficiat, & alii carnales affectus acclamationem producant, vel mille acclamationes haud sufficient ad legitimandam eiusmodi electionem. Bene hac de re iudicat M. A. de Dominis *de Republ. Eccl. P. 1. lib. 3. c. 3. §. 55.* non esse omnem vocem populi, vocem Dei, quamvis hoc axioma alias valde abuti soleant, quod proinde recte perfringit D. Becmannus *disp. de diuin. vitar. princip. c. 3. §. 8. circa f.* Hunc in finem M. A. de Dominis *cit. l.* adiungit assertum Episcoporum Remensium in quientium: *Non erat vox Domini vox clamantis: crucifige crucifige: nec omnia Cleri & populi vota & desideria in electione Episcopi perquirenda sunt: sed tantum simplicis & incorrupti & spe questus minime allesti.* Et sæpe eiusmodi acclamationes in abusum tractas fuisse, testatur ipse Origines *Homil. 22. in Numer.* vbi instituit comparationem inter electiones sui temporis cum illis, quæ fuerunt in V. Testamento, & in exemplum trahit vocationem Iosue, & tandem concludit: *nulla hic populi acclamatio, nulla consanguinitatis ratio*

ratio nulla propinquitatis contemplatio habita est. Iudicium Chrysolomi de vulgi iudicio iam supra §. 4. adductum est, quod etiam has acclamationes illustrat. Vnde etiam prudentiores Theologi iam animaduenterunt, acclamationem populi vnanimem non esse necessarium iudicium vocationis diuinæ. *Acclamatio populi sepe vana.* Est enim, vt bene iudicat Excell. Dn. Buddeus *diff. de vana.* quod decet circa solenn. princ. §. 5. ea hominum plerorumque præsertim plebeciorum indoles, vt sensibus & imaginatione plus valeant quam iudicio & intellectu: adeoque rebus, quæ in sensu cadunt oculosque perstringunt, acrius moueantur, quam argumentis rationibusque luculentissimis. Hinc non adeo mirandum, quod quicquid modestum, vulgo ignauia speciem habeat, quod circumspectum & prouidum, segnitia, quicquid autem abruptum & præceps, id forte & virile censeatur, vt loquitur Thucid. lib. 3. Quodsi idem iam applicemus ad vocationes ministrorum, plerique certe decipiuntur externa rerum facie, & sæpe admirantur dona externa in Ministro, quæ tamen parum vel nihil facere possunt ad veram & sufficientem ædificationem Ecclesiæ. Optime iudicat eruditus quidam Theologus: *Sciamus, inquit, externam docendi gratiam & dexteritatem esse instar corporis formosi & bene colorati, virtutem autem, de qua Paulus 1. ad Cor. IV. 20. loquitur, esse instar anima.* Quid vero facilius fieri potest, quam plebem capitali formosa facie, quippe quæ sensus ferit, virtus vero, quæ magis ad cor & animam penetrat, plerisque est ignota: hinc fit, vt pii eiiciantur, Thraones sæpe quarantur: *Euangelium nostrum,* pergit idem Theologus, *quo superbimus, ubi plurimum nisi in lingua consistit? ubi nouitas vitæ? ubi spiritalis efficacia? neque id in plebe modo, sed quam multi dum fauorem & laudem venantur ex euangelio, tanquam profana quædam scientia foret, nihil aliud scident, nisi vt eleganter & subtiliter loquantur.* Vt itaque breuiter rem comprehendam, non raro tales acclamationes sunt referendæ ad *Turbamenta vulgi*, de quibus ex professio agit Dn. Becmannus speciali disput.

*Vocatio per  
clamorem  
populi quo-  
modo fieri  
soleat?*

§. XIII. Quamuis itaque eligentes & ita acclamantes in modo non adeo semper peccent, (licet in eo peccare possint, vt nimis præcipitanter consensum suum electioni vel vocatiõni dent) adeoque hic vitium non semper adsit, illud tamen in clamoribus inordinatis & turbis circa vocatiõnem occurrentibus semper adest, adeoque eo detestabiliores sunt. Dicitur autem fieri vocatio per clamorem populi variis modis, in eo tamen inter se conuenientibus, vt quælibet factio in populo pertinaci agatur impetu, & suum quælibet Candidatum alteri obtrudere conetur. Necessario enim clamores supponunt rixas dissensiones & violentas procedendi rationes, vbi quilibet clamoribus & vociferationibus suis perrumpere quasi conatur. Fontes horum clamorum sunt, vana opinio de rebus externis concepta, nullo suffulta iudicio, sed coniuncta cum insigni & frangi nescia pertinacia, aduersus quam nullæ rationes perficiunt, frustraneæ sunt deprecationes, & imprimis tunc sese exserunt, vbi libertas in populo magna est, quæ sæpe conuerti solet in *petulantium*, vt Tacitus de morib. German. de antiquis Germanis quoque prædicat. Habent vero hi tumultuarii clamores suos gradus, vt alii sint remissiores, alii grauiores, alii repentini, alii constanter & longum habentes tractum &c. uti exempla infra addenda declarabunt.

*Origo ha-  
rum Clamo-  
rum inda-  
gatur.*

§. XIX. Sed vero non existimandum est, omnem culpam vnice residere in misero populo, ad clamores alias fati facili & prono, sed quemadmodum prudens semper solet apparentes rationes a veris separare, ita quoque itidem circa hanc materiam ita procedendum est; vt non vulgi castra sequentes tantum externis clamoribus & turbis inhæreamus, sed altius fontem etiam extra populum quæramus. Et quamuis forsitan vno alteroque casu res aliter sese habere possit, inde tamen illa haud est diiudicanda, sed ab eo, quod communiter fieri solet. Quodsi itaque primitiux Ecclesiæ faciem  
iatu-

intuemur, vbi illa adhuc humilis, diuitiis non abundans, honoribus & gradibus dignitatum non corrufcans, sed ita comparata erat, vt docentes non suo fastui indulgerent & ita verum amorem & myfterium fidei in pura conscientia conseruarent, ibi non audiebantur tales clamores circa vocationes, non contendeatur de primatu vel Episcopatu. Cur? Neque enim praeficiendi vlllo ambitionis ducebantur spiritu, neque erat tunc temporis munus docendi sacrum ita comparatum vt quis sub spe ambitionem & auaritiam suam explendi illud appetere potuiffet. Mors horrenda, vincula, cruciatus & extrema omnia erant fororio vinculo cum hoc munere connexa. Magis enim saeuitum fuisse in Presbyteros & Ecclesiae praefectos, quam ceteros Christianos historiae Ecclesiasticae docent. Ast vbitempore Constantini M. Ecclesiae tria imprimis praedicata, quae Zieglerus eis passim solet tribuere, acciperent, vt essent 1) *tute*, 2) *diuites*, 3) *honorate*, statim quoque secutum est illud malum, vt munera Ecclesiastica essent pomum Eridos. Quies externa securitatem operebatur, diuitiae & honores Clericorum iam ad securitatem nimium inclinantium animos ita commouebant, vt publicae contentiones & diffidiae de proedria aliisque rebus mundanis & τὰ ἐπιγεια respicientibus audirentur. Acta Niceni Concilii testantur, maximas in hoc concilio subortas fuisse lites de iure proedrias. Et quis dubitet, subinde quoque de rebus fuisse controuersias agitatas, cum, vt Canones Concilii Niceni testantur, imprimis Episcopi anxie laborarunt, vt proprium quilibet territorium & Dioecesin, in qua solus iura exerceret, haberet, ita vt aliis fas non esset, vllum actum sacrum intra aliorum fines exercendi. Ast vero tales de finibus contentiones imprimis ob auri sacram famem instituuntur, vt eleganter ostendit & iudicat Ill. Dn. Strykius in *praefat. ad Dn. praef. vus parochiale*. Rem bene depingit Bernhardus in *Cant. serm. 33*, inquit: *Amarum (Ecclesia) prius in necesse martyrum: amarior postea*

*postea in conflictu hereticorum: amarissima nunc in moribus domesticorum. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesie, pax a paganis: pax ab Hereticis, sed non profecto a filiis, per filios vero intelligit Clericos sui temporis, quorum auaritiam & ambitionem in antecedentibus grauiter deplorauerat.*

*Clerus imprimis ansam dedit ad eiusmodi clamores.*

§. XX. In tantas itaque cum Ecclesia Christi esset iactata miserias, Clerum imprimis muneris sacro inihiasse quis negauerit? Nam illud testantur constitutiones tum conciliares, tum Imperatorum, de se non obtrudendo populo, illo tempore factæ, quæ minus necessariæ fuissent, si nulla eius rei adfuissent exempla, & quidem frequentia, quippe de quibus alias quoque tantum leges solent esse sollicitæ. Inter tales itaque contentiones de Episcopatibus, quæ imprimis Clero adscribendæ, non aliter fieri potuit, quin etiam populus penes quem tunc adhuc libera erat electio, ut supra plenius ostensum, in factiones diuideretur & factio alia huic, alia illi, adhuc alia tercio adhæreret. Ita enim comparatum est cum plebe, ut si graues contentiones inter viros graues & quorum magna est penes plebem autoritas, subortæ fuerint, ipsa non soleat quasi in specula exitum rerum intueri, sed potius ita se diuidere, ut pars huic, pars illi adhæreat, præsertim tunc, si controuersie decisio dependet ex plebis vulgique votis, ubi tandem publicæ seditiones, clamores, & turbæ sequuntur. Ex quo fit, ut quæ contentiones sæpe tantum priuatas attingunt personas, erumpant in publicas, & totam Rempublicam in communem trahant perniciem. Quemadmodum itaque in tali casu non tam respici solet ad turbas præsentés, sed potius ad causam tanti mali, quemadmodum & Icti ante omnia *autorem rixæ* indagare student, ita quoque in hisce circa electiones Ministrorum vociferationibus & publicis factionibus non omnis culpa est reicienda in miseram plebem, quippe quæ sæpe misericordia digna est, dum nescit quid agat, imò forsan putat, se causam DEI agere & diuino

rapi

rapi impetu, sed potius semper, vnde prima mali origo orta fit, inquirendum, & sic vt plurimum eueniet, vt is, propter quem tales seditiones respectu electionis mouentur, fit in culpa, quod *vel* plebis promiscuæ libidini & vociferationi, cum posset, serio non resisterit, sed dissimulauerit, & ita se gesserit, quasi non propter se sed propter alium tales excitatæ essent vociferationes & turbæ: *vel* etiam aperte populum in suas partes traxerit & ad tales seditiones incitauerit. Vtroque modo recte quis pro autore turbationis habetur. Non enim impediendo, quod quis poterat & debebat impedire, censetur quis factum perpetrasse.

§. XXI. Ne vero videar hæc immaturo iudicio & præ-<sup>Firmatur</sup> cipitanti opinione asseruisse, audiant quæso omnes hi, qui non <sup>M.A. de Do-</sup> ducuntur externa rerum facie, quid in omni antiquitate Ec-<sup>minis asser-</sup> clesiastica peritissimus Marcus Antonius de Republ.<sup>to.</sup> *Eccl. lib. 3. c. 3. §. 53.* hac de re iudicet, & annon fere eadem mecum vsus sit philosophia: Ita autem ille: *Verum quidem est, plebem esse bestiam multorum capitum, & ad seditiones paratissimam: sed hoc virium circa electiones hæc plebi fideli inuicem non est, quæ non minus nunc, quam olim, moderatione gravis esset in electionibus, ac publica utilitatis studiosissima, si Episcopi essent, qui olim in pura Ecclesia fuerunt, & Episcopatus onus esset non honor, neque occasio superbiendi, ac superciliosus fastus esset ab Episcopis nostris, vt olim, remotissimus. Sic enim sepe fortasse, vi etiam adhibita, a plebe essent idonei ad Episcopatum, vel inuiri ut olim trahendi & cogendi: postquam vero res inuersa est, & Episcopatus cepit esse plerisque in locis ac præsertim in nostris Ecclesiis mundanus fastus, certatimque potentes ambitione stimulante ad illum animum adire-runt, malis artibus plebem coruperunt & ad seditiones incenderunt. Reducatur Episcopatus ad suum verum statum, & moderatissimam vt prius in suis electionibus plebem experiemur. Hactenus M. A. de Dominis, qui rem ita egregie & neruose depinxit, vt omnium approbationem vbique mereatur. Neque vero putandum est, illum tantum loqui de Clero pontificio, quem vtique perstrinxit, sed optandum foret, vt talia ad nostras Ecclesias Euangelicas appli-*

applicari haud possent, cum Acta consistorialia vbique testentur, eandem quoque apud nos narrari fabulam, easdemque esse de munere sacrolites contentionesque.

Adducuntur  
aliatestinonia.

§. XXII. Patet id ipsum quoque ex querelis frequentibus patrum, qui miseriam hanc variis modis deplorarunt. Bernhardus in *Ps. qui habitat. serm. 6.* sic statum sui temporis describit: *Omnes, ait, que sua sunt, querunt, non que Iesu Christi. Ista quoque ecclesiastica dignitatis officia in turpem questum & tenebrarum negotium transierunt: nec in his salus animarum, sed luxuriam queritur divitiarum. Propter hoc contendent, propter hoc frequentant Ecclesias, missas celebrant, Psalmos decantant. Pro Episcopatibus & Archidiaconatibus Abbatibus aliisque dignitatibus impudenter hodie decertatur, ut ecclesiarum redditus in superfluitatibus & vanitatis usus dissipentur. Superest, ut reveletur homo peccati.* Nazianzenus in *Apol.* eundem fere in modum de Clero sui temporis loquitur: *Erubui inquit, de quibusdam, quos videbam nihil penitus ad emendationem vite sue, nihil acquisivisse correctionis ad mores. Quinimo & nequiores effectos immundis, ut dicitur, pedibus irruentes certatim in sacra & priusquam digni haberentur, primo aditu ac impulsis ceteris, ipsis sacris altaribus incubare; ut iam non ad formam & exemplar plebi praeendum ordo ille videatur, sed occasio quaedam in abundantia & securitate vivendi, nec officium ducatur futuro Dei iudicio obnoxium, sed secum quaedam & nunquam discutienda administratio patetur. Alia superferatis agnouerunt, sed temporis iniuria pressi ei medelam afferre non potuerunt. Vnicum tamen adhuc afferam exemplum de ipso Ambrosio, cuius supra facta mentio, ubi de acclamationibus populi actum, quod egregie & superius dicta, & praesentem de seditiosis clamoribus vulgi materiam enucleat. Res tota electionem eius concernens describitur a Paulino Presbytero in *vita eius* hoc modo: Posthac consularitatis (Ambrosius) suscepit insignia, ut regeret Liguriam Aemiliamque provincias,*

Electio Ambrosii refertur



cias, venitque Mediolanum per idem tempus mortuo Auxen-  
 tio Arianae perfidiae Episcopo (qui Dionysio beatae memoriae,  
 confessore ad exiliū destinato incubabat Ecclesiae) cum popu-  
 lus ad seditionem surgeret in petendo Episcopo, essetq; illi cura  
 sedandae seditionis, ne populus Ciuitatis in periculum sui verte-  
 retur, perrexit ad Ecclesiam, ibique cum alloqueretur ple-  
 bem, subito vox fertur infantis in populo sonuisse, *Ambrosium*,  
*Episcopum*. Ad cuius vocis sonum totius populi ora conversa,  
 sunt, acclamantis: *Ambrosium Episcopum*. Ita vt qui antea tur-  
 bulentissimi dissidebant, quia & Arianisibi & Catholicisibi  
 Episcopum cupiebant, superatis alterutris ordinari repente  
 hunc vnum mirabili & incredibili concordia consenserint.  
 Quo ille cognito, egressus Ecclesiam, tribunal sibi parari fecit,  
 quippe mox futurus Episcopus altiora ascendit. Tunc contra  
 consuetudinem suam tormenta iussit personis adhiberi. Quod  
 cum faceret, populus nihilominus acclamabat: *peccatum horum*,  
*super nos &c.* Duo imprimis circa hanc electionem considera-  
 da occurrunt. (1) populum fuisse scissum in diuersas factiones,  
 & studiis partium intentum. Inde ortae disfidiae & seditiones,  
 hanc factionem Arianae sectae studendo, illam vero orthodo-  
 xum Episcopum quaerendo. Et quis crederet, in tanta inter  
 Haereticos & Orthodoxos contentione ipsum Clerum non fuis-  
 se sollicitum, vt populum in suas partes traheret, orthodoxo  
 quidem Clero ad orthodoxum eligendum populum instigante,  
 Ariano vero ad suae Sectae addictum: alias enim tantae seditio-  
 nes haud ortae fuissent, quemadmodum refert Paullinus. vid.  
 Guil. *Cauē in Historia Literaria script. Eccl. p. 148.* Populus enim  
 ni Ducem suae factionis habeat, rarius tantas solet mouere se-  
 ditiones (2) populum mox tam incredibili animorum consen-  
 sione Ambrosium elegisse, & hunc resistentem & renitentem  
 tam sollicite & anxie quaesuisse: vt ita DEus ex singulari sua pro-  
 uidentia & misericordia animos dissentientium turbasque mo-  
 uentium flexerit, & ad eligendum hunc egregium virum in-  
 duxe-

*Iudicium  
 de electione  
 Ambrosii.*

duxerit. Hactenus itaque optime cefferunt in Ambrosio acclamationes.

*Exemplatum  
vocationum  
per turbas  
adducuntur.*

§. XXIII. Vt vero pateat, hoc tempore imprimis, vbi de Episcopatibus decertari cœptum est, turbas fuisse moras circa electiones Clericorum, nihil ἀτροπον me commissurum spero, si exemplis quibusdam illustribus hanc rem declarem, ex quo simul perspicuum reddetur, antiquissimum hoc esse vitium, & per tot secula ad nos deriuatum: Notabiles circumstantias circa electionem Episcopi Cabilonenſis refert Apollinaris Sidonius, qui *Epist. 25. lib. 4.* satis neruose docet, quantam curam in conciliando sibi populo adhibuerint Candidati, vnde post tot clamores & diffidæ ortæ: Ita vero ille: *Nequeo differre cum grandis communionem te gaudii festinus impertiam, nimirum nosse cupientem, quid pater noster in Christo pariter & Pontifex patiens Cabillonum profectus, more religionis, more constantia sue fecerit. Cum venisset in oppidum supra scriptum, prouincialium sacerdotum preueni partim, partim comitante collegio, scilicet ut municipio summus aliquis Antistes ordinaretur, cuius Ecclesie disciplina nutabat, postquam Iunior Episcopus Paulus discesserat, decesseratque. Exceperunt Pontificale concilium varie voluntates Oppidanorum, nec non & idem, que bonum publicum semper evertunt, studia priuata, que quidem Triumuiratus accenderat competitorum: quorum hic antiquam natalium prerogatiuam, reliqua destituta morum dote, ructabat: hic per fragores parasiticos, culinarum suffragio comparatos, Apistanis plausibus ingerebatur: hic apice votiuis si potiretur, tacita passione promiserat, Ecclesiastica plausoribus suis preda predia fore. &c.* Hoc itaque exemplum statum seculi quinti in rebus Ecclesiasticis valde illustrat, vbi studia priuata populi fuerunt excitata nefanda competitorum concertatione de Episcopatu. Aliud exemplum popularis tumultus circa idem fere tempus refert Synesius Cyrenæus in *Epist. 67.* quod ex hoc refert plenius Ziegl. *de Episc. lib. 2. c. 1. §. 25.* Missus is fuerat a Theophilo Episcopo Alexandrino Palæbiscam, vt ibi constitueret Episcopum; conuentu vero populi habito, refert, satis pertinaciter populum eius admonitionibus restitisse. *Ex his,*  
per-

pergit, manifestissimos quisque sive alius vociferaretur, sive credidinem nactus & eam conscendens patronum agere vellet, & sermone contendere, tanquam pretio comparatos, ac coniuratos libertorum manibus traditos & ex conventu pulsos exturbari iussi. Adit porro, qua ratione conuentum dimiserit, populumque ad quartum diem adesse iusserit, quodque populus ista die rursus ad reclamandum & certandum compositus fuerit. Similis tumultus obortus est circa electionem Proterij anno 451, depositio a Synodo Chalcedonensi Dioscuro. Quamprimum enim Proterius Episcopatum suscepit, ingens & intolerabilis in ciuitate exortus est tumultus, aliis Dioicorum requirentibus, aliis Proterium constanter defendentibus. vid. Guil. Cae Hist. liter. script. Eccles. p. 253. vbi simul refert, Timotheum Aelurum Presbyterum, a Proterio deiectum, post a duobus suae factionis Episcopis manu militari restitutum, & Proterium ipso paschatis die fuisse occisum, & adhuc ita in corpus eius saeuitum, vt per urbem raperetur, contumeliisque & ludibriis afficeretur. Quin horrendum dictu! cadaver membratim dissecuerunt, carnes degustarunt, reliquias igni tradiderunt, rogi cineres in ventum sparserunt.

§. XXIV. Diuersae adhuc fuerunt vociferationes & clamores, quibus ad Episcopatum vocatus Athanasius est. Disceptatum nimirum de ipso Athanasii Episcopatu fuisse, historiae Ecclesiae testantur; praesertim vero ei obiectum ab Eusebio Nicomediensi, quod clanculum absque consensu plebis in Praesulem esset electus, vbi tunc Synodus Alexandriae congregata epistola Synodica, quae in Apol. 2. eius reperitur, eum defendit his verbis: *Nos autem contra eum tota Ciuitate & vniuersa prouincia omnem multitudinem populumque Catholicae Ecclesiae in unum coactum, quasi in speciem vnus corporis & animae postulasse Athanasium Ecclesiae Episcopum dari, idque publicis votis a Christo expetiisse, nosque vii faceremus, per multos dies ac noctes iureiurando obtestatos fuisse,*

*Athanasii  
electio re-  
fertur.*

*Iudicium  
de hac ele-  
ctione.*

*cum interea nec ipsi ab Ecclesia discederent, neque nobis discedendi facultatem permitterent, hoc nostrum totiusque civitatis & uniuersæ prouinciæ testimonium nec mali quicquam de eo, quod ab ipsis fit, pronunciamus.* Demonstrant itaque circumstantiæ circa electionem Athanasii occurrentes (1) falsas fuisse imputationes Eusebii (2) laudabiliter restitisse Athanasium, nec se ingessisse adeoque, si omnes veræ sunt circumstantiæ, rarum quoddam adest exemplum vocationis per clamores factæ, quibus tamen haud dedit ansam Clerus (3) interim tamen inordinata procedendi via, dum ita vociferationibus & clamoribus vsi sunt, ostendit, populum magis egisse impetu quodam, quam tali procedendi ratione, quæ placidis diuini verbi regulis est conformis. Destinatio itaque Athanasii ad Episcopatum hæctenus satis laudabilis fuit: sed inordinatus modus vocandi aliquid vitii habuit. Forfan & hoc nostrum iudicium nonnullis ingratum videtur, qui acriter reprehendunt, quod iudicium suum in *Disp. de Renouat. vocat. resign. §. pen. in f.* Dn. Præf. suspenderit circa depositionem Athanasii. Sed quemadmodum placidas aliorum dissensionnes æquo animo non contemnimus, sed potius ea qua par est, reuerentia prosequimur, ita aliorum immodestos & impios clamores contra hanc sententiam contemtu vindicamus, misericordia potius quam indignatione dignos tales iudicantes, qui nisi cohortes fanaticas construere possunt, quo ipso tamen inopiam iudicii sui profiterentur.

*Chrysofomi  
iudicium de  
huiusmodi  
turbulenta  
vocatione.*

§. XXIV. Chrysofomus de sacerdotibus lib. 3. c. 15. optime de hac peruersa eligendi via iudicat, in simulque statum sui temporis circa electiones ita describit. *Ita hinc iam, ait, ac publica festa spectato, ea dico, in quibus dignitatum Ecclesiasticarum electiones de more fiunt, & tam multis videbis inibi criminationibus lacerari Episcopum, quanta est tota illa subditorum multitudo, quibus eligendi potestas concessa est. Has omnes tum in multas factiones scindi, neque inter se consentire neque cum eo cui sorte Episcopatus delatum sit, presbyterorum congregationem conuenire videas, sed vnusquis-*

„ quisque a suis vnus partibus stat, alius hunc, alius illum eli-  
 „ gens, cuius rei causa hæc est, quod in vnum non spectant,  
 „ quod solum spectandum fuerit, nempe animi virtutem; sed  
 „ aliæ sunt causæ, quibus honores conciliantur: verbi gratia  
 „ hic quod claro genere natus sit in Episcopatus, inquit, ordi-  
 „ nem cooptetur: ille quod opibus abundet, neque indigeat  
 „ alimentis ex Ecclesiæ prouentibus quasitis &c. Hactenus  
 Chrysostomus. Plura addi possent exempla, nisi breuitati  
 studerem. Conf. interim Gregorius Nazianzenus *in orat 14.*  
 vbi itidem refert Basilium fuisse electum, sed non sine seditione populari.

§. XXV. Ceterum iniustitia huiusmodi vocationis  
 cuiuslibet in oculos incurrit, vt pluribus argumentis cam pro-  
 sequi non adeo necesse sit. Iura alias in genere damnant om-  
 nes violentas seditiosasque procedendi rationes in negotiis  
 secularibus, quidni etiam damnarent tales vociferationes tur-  
 basque circa hocce negotium occurrentes, quod imprimis in ti-  
 more Domini & precibus ardentissimis est suscipiendum. O-  
 stendunt itaque tales, qui suis vociferationibus vocationem al-  
 teri, cui forsân ius præsentandi competit, extorquere conan-  
 tur, se non sincero pioque duci affectu, sed magis impetu fu-  
 roreque agi. Ostendunt, se nolle inquirere, vtrum volunta-  
 ti DEI conformis sit talis vocatio, sed potius sui carnalis in-  
 stinctus incitamenta repentina sequi. Imo ostendunt, se  
 eius quod viis legitimis consequi non possunt, per pessimas &  
 diuino verbo contrarias vias velle compotes fieri. Quid  
 enim sunt eiusmodi turbæ & seditiones, quam congeries om-  
 nium malorum. Redundat enim inde ingens iactura in  
 ipsam Rempubl. quippe vinculum illud ciuile per has seditiones  
 dissoluitur, & finis Reip., quem promouere ex iuramen-  
 to subiectionis debebant, evertitur. Redundat damnum in  
 ipsam Ecclesiam, dum per scandalum publicum vocatio Mini-  
 stri Ecclesiæ corrumpitur, & Ecclesiæ minister violento mo-  
 do obtruditur. Redundat denique damnum in singulos, dum

*Iniustitia  
 huius illegi-  
 time voca-  
 tionis sum-  
 matim exhi-  
 betur.*

singulorum salus dependet ex ordinata & placida vocatione ministri. Sunt itaque tales seditiosi iniurii in ipsum DEVM, cuius voluntatem spernunt: in Rempubl., quam seditioibus turbant in Ecclesiam, cui obtrudunt violentis modis Ministrum: in Magistratum, cui resistunt contra præceptum Pauli *Rom. XIII.* in singulos ciues, cum damnum publicum est damnum singulorum.

*Consensum  
legum addu-  
citur.*

§. XXVI. Tendunt quoque huc Leges Ecclesiasticæ omnium provinciarum, dum volunt, vt omnia sincere & placide peragantur in eiusmodi vocationibus & electionibus. Vnde & Imperatores Leo & Anthemius in famosa illa constitutione, in *Disput. de Renou. vocat. resignata §. 2* volunt, vt talis electio fiat puris mentibus, nuda electionis conscientia, sincero omnium iudicio, & vt addit Pontifex in *c. 16. D. 62.* REMOTO STUDIO h. e. vt euitetur omne studium partium, & ne quis ex mere carnalibus & inordinatis affectibus studeat eiusmodi ministro votum suum dare, qui & ipse carnalis est & mysterium fidei in pura conscientia conseruare non allaborat. Non itaque meretur dici PALEA *c. 14. D. 61.* quamuis in Decreto Gratiani hanc notam habeat præfixam, vbi sequentia bene constituta legimus: *Quodsi omnis congregatio vitiiis suis consentientem personam pari consilio elegerit & vitia ipsa aliquatenus in notitiam Episcopi vel ad alios vicinos prepositos, vel Christianos claruerint, prohibeatur prauorum prauelere consensum &c.* Simili ratione in *c. illud 2. C. 8. q. 2.* Gregorius Papa satis conuenienter loquitur: *Si quorundam patrocinio fuerit quisquam electus, voluntatibus eorum, cum fuerit ordinatus, obedire reuerentia exigente compellitur: sicque fit, vt & res illius minuantur Ecclesie & ordo Ecclesiasticus non seruetur. Talem ergo, te admonente, personam debent sibi eligere, que nullius incongrue voluntati deseruiat, sed vita ac moribus decorata tanto ordine digna valeat inueniri.* Pontifex Leo in *c. 5. D. 61.* itidem hanc sententiam confirmat his verbis: *sicuti boni operis sibi comparat fructuum, qui, rellum tenet in eligendo sacerdote iudicium; ita graui semet ipsum afficit damno*

*damno, qui ad suæ dignitatis collegium sublimet indignum. Non enim in cuiusquam persona præmittendum est, quod institutis generalibus continetur:*  
 NEC PVTANDVS EST HONOR ILLE LEGITIMVS, QVI FVERIT  
 CONTRA LEGIS DIVINAE PRAECEPTA COLLATVS. Certe qui  
 patroni sunt impietatis, non verebuntur asserere, Pontificem  
 hic quoque hæresi Donatistarum patrocinari. Sed quam-  
 uis veritas non fiet ex Pontificis decreto, tamen ratio adducta  
 tam euidentis est, vt stupidi ingenii sit, qui illam in dubium  
 vocare audeat. Impietatis itaque insignis est, velle defendere  
 impiorum vocationem esse legitimam,

§. XXVIII. Ceterum antequam ad vltiora progres- *Clamores*  
 sus fiat, vel binis verbis monere necessum est, in foro exter- *subsequentes*  
 no sufficere, si quis ad Ecclesiam vocatus sit absque euidenti *non nocent.*  
 tali studio partium & affectu inordinato, licet post electionem  
 pauciores reclamant, ipsamque electionem impugnare anni-  
 tantur. Neque enim ita fert rerum humanarum conditio,  
 vt omnium consensus vnanimis semper haberi possit, vnde &  
 canones recte *maiora* tantum requirunt, & quamuis quoque  
 velint, vt *saniora* eadem sint, tamen vel ipsi Canonistæ aperte  
 profitentur, non tantum maiora saniora præsumi, sed diffi-  
 cillime posse demonstrari, quænam sint saniora. Vnde pau-  
 ciorum reclamaciones non statim habendæ sunt pro inordi-  
 nata: aliqua electione, si tales oriantur post electionem iam  
 peractam, cum & hi possint affectibus duci & studio partium  
 inseruire, quod ex subiecto ab Ill. Facultate iuridica Hallensi  
 Anno 1698. Mens. septembr. concepto responso illustratur,  
 cuius tenor in sequentibus consistit.

Habt ihr nach erledigter Pfarre-Stelle in dortiger Kirche St. *Responsum.*  
 Jacobi, da nach Anordnung des Episcopi 5. Persohnen auf die Wahl  
 gestellet worden / die Gemeine hierzu öffentlich in der Kirche con-  
 vociret / und eines jeden freyes und ungezwungenes votum nach  
 der Ordnung der in der Gemeine sonst auffgerichteten Rolle er-  
 fodert und solche vota für dem Altar zu richtiger *Registratur* bring-  
 en lassen, da denn auf C. W. D. 61, und auf J. A. E. H. 31. Stimmen  
 92

gefallen; diejenigen aber / welche auf diesen letztern gestimmt / gleich darauff solcher Wahl widersprochen / unter dem Vorwand / ob wären sie dadurch beschimpffet / daß sie nach der Rolle / und nicht nach ihren Würden zum *votiren* gefordert / auch einiger abwesenden *vota*, wegen Ermangelung einer *Special-Vollmacht* nicht angenommen worden / jedoch auff geschbehene *remonstracion*, endlich von solcher *contradiction* zwar abgestanden / und es auff die Ablegung der auff denen Wahlzetteln befindliche Stimmen ankommen lassen / wie aber um *Confirmation* des / nach denen meisten Stimmen erwehltens Ansuchen geschehen mit einer anderwärtigen *protestation* bey dem *Episcopo* eingekommen / und wieder die auff *D.* gefallene 61. Stimmen eingewandt / als wären deren einige *emendiciret* / auch darunter 19. *vota* begriffen / die von Persohnen / so in der Gemeine mit eigenen Häusern nicht angeessen / ertheilet wären; hingegen ihren Stimmen annoch 9. *vota*, derer so bey der Wahl abwesend gewesen / anzuhängen vermeinet; Wodurch Sie zu Wege gebracht / daß die *Confirmation* noch in *suspensio* gelassen worden / und nach beyderseits eingebrachten rechtlichen Nothdurfft vor erst erkant werden soll. Da Ihr dann von Uns zuwissen begehret?

*Questio.*

Ob nicht in angezogenen Umständen mit der Wahl *legitime* verfahren / und die dabey ohne Vollmacht angegebene / und hernach erst an sich gezogene der abwesenden *vota* als unzulässig auszuwerffen? Hingegen die von denen *Protestanten disputirlich* gemachte 19. Stimmen / als von rechtlichaffenen ehrlichen Handwercks und eingepfarrten Bürgern allerdings zu *admittiren* / und die auff *D.* gefallene meisten Stimmen Einwendens ungeachtet vom *Episcopo* zu *confirmiren*?

*Deciso.*

Und dann erstlich in Rechten bekant ist / daß in denen Jenigen Sachen / welche von ganzen Gemeinen *i. e. communitate vel vniuersitate* dependiren, die meisten Stimmen bloßerdings zu *attendiren* seyn.

*L. 3. ff. quod cui. Univ. L. 3. ff. d. decret. ab ord. fac. L. 19. C. ad Munic. L. 45. C. de decurion vid. Lofe. Tr. de Jur. Munic. dist. 72. Col. proc. Exec. p. 1. c. 3. n. 11.*

Hierbey aber die Jenigen / welche bey dem *Actu* weder in Person /



Persohn / noch durch gültige Vollmachten zugegen gewesen / nicht  
mitzurechnen / noch der Abwesenden *vota* hernach zu *attendiren* seyn  
*Bursat. Conf. 107. n. 3. Nicol. Everh. Conf. 100. n. 5. Mev. ad Jus Lub.*

*L. 1. art. 2. n. 26. seqq.*

Dafern nun (wie wir alhier *in facto presupponiren*) alle und jede  
zu der Gemeine mitgehörige zu diesem *actu* gebührend gefodert wor-  
den

*L. 2. C. de decur ibique Dd.*

So dann auch in denen *personal-Sachen* / welche die Persohn-  
nen in jeder Gemeine betreffen (wie alhier die Prediger Wahl)  
nicht darauff zusehen ist / ob einer mit einem eigenen Wohnhause  
*possessioniret* sey / oder nicht / sondern alle die jenige / welche würck-  
liche Bürger und *Principal* Mitglieder der Gemeine und also alda  
eingepfaret seyn / mit darzu gehören

*arg. L. 1. §. 1. ff. quod cuiusque Univers.*

Welches im desto mehr bey diesem *casu* statt finden muß / da  
der Gegentheil / dem Bericht nach / auch einige *vota* von *imposses-*  
*sionirten* *produciret*  
*tot. tit. quod quisque iuris in alter.*

Also halten wir davor / daß es bey der *per maiora* auf D.  
rechtmäßig ausgeschlagene Wahl zu lassen / und dieselbe / des darz  
wieder geschenehen Einwendens ohngeachtet zu *confirmiren* sey B.  
R. W.

§. XXVIII. *Vltimo demum huc referri possunt tot Illustratur*  
*constitutiones, quæ huic inordinatæ viæ vocandi obuiam ire turpitude*  
voluerunt, quas breuiter hic adicere lubet. Gregorius Papa *huius voca-*  
*tionis illegi-*  
*time ex iure*  
*Canonico, ut*  
*innotet sup*  
*reus in obuiis*  
*notis unq*  
*An Electio*  
*ad clamo-*  
*rem populi*  
in c. 2. D. 63. vbi de electione Episcoporum agit, excludere vo-  
luit potentes & principes ab electione ob hanc rationem, *ne*  
*inordinata hinc & incongrua fiat confusio vel contentio*, quæ ratio  
applicata ad Principes potius prætextum, quam genuinam  
continet causam, cum Pontifices id semper egerunt, yt sub  
prætextu contentionum etiam excluderent Principem, quæ  
tamen nequidem cessant, vbi a Clero litigioso fit electio. Infe-  
rim conclusio exinde deducta satis bona est, scilicet vocatio-  
nem non debere esse *inordinatam*. Pleniorum de eiusmodi tur-  
bulentis

E

bulentis

bulentis electionibus dispositionem reperimus in c. 5. D. 61. vbi Pontifex ita: *Miramur tantum apud vos per occasionem temporis impacati aut ambientium presumptionem aut TVMVLTVM valuisse, ut indignis quibusque & longe extra sacerdotale meritum constitutis pastorale fastigium & gubernatio Ecclesie crederetur. Non est consulere populis, sed nocere, nec prestare regimen, sed augere discrimen: Integritas enim presidentium salus est subditorum: & vbi est incolumitas obedientie, ibi sana est forma doctrine. Principatus autem, QVEM SEDITIO EXTORSIT, aut ambitus occupavit, etiamsi moribus aut actibus non offendit, ipse tamen in iuri sui est perniciosus exemplo. Et difficile est, ut bono peragantur exitu, qui malo sunt incubata principio. Quod si in quibuslibet ecclesie gradibus prauidenter scienterque curandum est, ut in Domini domo nihil sit inordinatum, nihilque praeposterum, quanto magis elaborandum est, ut in electione eius,*

*Vocatio turbulenta illegitima.*

*qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? Est itaque illegitima talis vocatio, quam seditio extorsit, ex quo axioma iterum hanc vocationem respicientia facile postea eruere possumus. Sic vltimus in Concilio Laodicensi c. 33. qui refertur in c. 6. D. 63. constitutum, non esse permittendum, TVRBIS electionem eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promouendi. Quid itaque remedium contra eiusmodi turbas? Id Coelestinus P. in c. 2. D. 62. explicat, edisserens: *Docendus est populus, non sequendus, nosque, si nesciunt, eos quid liceat, quidue non liceat, commonere, non his consensum praeberere. Quae verba si sano sensu adhibeantur, in se nihil vitii continent, quamuis Clerus Pontificius his abutatur in perniciem plebis, ut eo magis misera turba sub obsequio cetero contineatur. Vnde alibi dicitur, Cleri esse eligere, populi vero humiliter obedire.**

*In aliis quoque negotiis turbae in iure sunt odiosae.*

§. XXX. Neque vero hoc speciale aliquid est in electionibus, sed etiam in aliis negotiis turbae & clamores prohibentur. Sic Sigonius *de Regn. Ital. lib. 4. princ. de Carolo M.* refert, quod ius legendi Pontificis Romanis eximia moderatione vltus remiserit, eosque comitia antiqua ratione per Clerum populumque habere, MODO SINE TVMVLTV ambituque concesserit. In iure Civili Romano grauius vindicatur, quod

quod per TURBAM factum est damnum, adeo ut eo nomine actio in duplum detur contra eum, cuius dolo malo in turba damnum datum est. *l. 4. pr. ff. de V. bon. rapt.* Et quidem hoc adeo extendebatur, ut si quis adventu suo turbam concitauerit vel contraxerit vel clamore vel facto aliquo, nihilominus teneatur de damno dato, etiamsi non habuerit consilium turbæ cogendæ *cit. l. §. 6.* Hic prætor loquitur, ait *Ictus cit. l. de damno dato, quod dolo malo IN TURBA datum est, etiamsi non ipse turbam coegit, sed ad CLAMOREM eius vel dicta vel misericordiam turba contracta est vel si alius contraxit vel ipse ex turba fuit.* Quin etiam lege Iulia de vi publica tenentur, qui TURBÆ SEDITIONISVE faciendæ consilium inierunt, ut dicitur in *l. 8. pr. ff. ad L. Jul. de vi publ.* Præterea vero lubens cetera, quæ legibus in turbatores & seditiosos sunt constituta, quippe factis iam nota.

§. XXXI. Abhorrent identidem leges ab omnibus importunis & per clamores extortis concessionibus, adeo ut eadem nullas euidenter declarent. Imprimis in rescriptis hoc usi venire solet, ut propterea talia a iudicibus inferioribus non attendi debere, sæpissime fit constitutum. Sic in *extrav. execrabilis. Ioan. XXII. de præb.* dicitur quod *improbitas importuna petentium a Pontificibus non tam obtinuerit aliquid, quam extorsit.* Quin & Imperatores in *l. 1. C. de petit bona subl.* Rescripta talia falsitatis suspicione laborare aiunt, inquentes: *quoniam plerumque ita in nonnullis causis inuerecunda petentium inhibitione constringimur, ut etiam non concedenda tribuamus, nec rescripto quidem nostro aduersus formam late legis loci aliquid relinquantur.* Conf. Myler. ab Ehrenb. in *Hyparchol. c. 3. §. 37. n. 14.* Sanchez. de *Matrim. lib. 4. disp. 7. n. 4. seqq. Ill. Dn. Stryk. disp. de falsit. prec. princip. oblat. c. 3. n. 21.*

§. XXXII. Ostensa itaque turpitudine huius illegitimæ vocandi viæ, facile iam decidi potest quæstio: utrum electio ad clamorem populi facta valeat, effectumque iuris electio tribue-

facta vale-  
as?

re possit? Quæ quæstio a Canonistis communiter negatur per c. 2. X. de Elect. ex quo textu generalem formant conclusionem, *electum ad clamorem populi non esse ordinandum*. vid. Gonzalez & Barbosa ad *cir. cap.* & longa serie ab ipsis recentiti. Quæ conclusio vt recte intelligatur, sciendum est ex principiis iuris Canonici, electum per electionem ius aliquod acquirere, vt ita ordinatio ei denegari non debeat. Quo casu itaque ordinatio electo denegari potest, eo casu quoque vocatio erit illegitima. Et hoc itaque satis sufficienterque ostensum esse puto in hæcenus dictis, & sic Canonistarum decisio merito quoque in nostris Ecclesiis recipienda & applicanda. Si enim ipsa vocatio electio & præsentatio ad clamorem populi facta est illegitima, ipsa quoque nullos producere valebit iuris effectus: hinc quoque nec admissa a Consistorio præsentatio valida erit, si adhuc seditio & clamor populi duret. Nam & sic quod vitium, ab initio fuit in extorta a patrono præsentatione, continuatur etiam in admissione præsentationis: Consistit enim admissio talis in *ap probatione libera persona presentate*, præmissa accurata inquisitione in mores doctrinam vitam & alias qualitates præsentati; at vero in admissione extorta per clamores populi hæc omnia cessant, omnia sunt violenta, vi metuque peracta, adeoque nullius momenti.

An vocatus  
ad clamorem  
populi  
deponi possit.

§. XXXIII. Ex iisdem principiis iam alia quæstio decidi potest: vtrum videlicet minister ad clamorem populi semel electus, durante tali clamore confirmatus & inthronisatus, postea sedata seditione & refrigescente impetu, populoque ad saniores redeunte cogitationes deponi rursus possit? Hæc quæstio rationem dubitandi exinde capit, quod talis minister semel Ecclesie sit præpositus, ordinatus & inthronisatus, adeoque sine scandalo publico ab officio sacro remoueri non possit. Accedit quod ipse possit esse innocens, & populo omnium culpa adscribi debeat, non participando de iis quæ illegitime facta sunt a populo. Verum rationes hæc tam imbecilles sunt, vt depositionem talis illegitime vocati ministri impedire non

non possint. Sit ita, quod semel ordinatus & inthronisatus sit, tamen omnia hæc sunt nullius momenti, per clamores populi extorta adeoque grauius scandalum sine dubio inde oriretur, si hoc negotium, quod torum quantum vitiosum & illegitimum est, sublisteret: imo autoritas Magistratus, cuius omnino interest, ne talis res pessimi exempli toleretur, grauem inde pateretur iacturam. Nec potest dici vocatum per clamores populi hoc casu esse innocentem. Nam supra demonstratum est, plerumque tales seditiones & clamores originem suam ducere ab ipso vocando & Candidato, qui ambit officium sacrum, si non semper aperte, tamen clam. Et quomodo adesse poterit conscientia illæsa & innocentia in Candidato, propter quem tot fiunt clamores, cum vel exinde iudicare possit, viam hanc eligendi esse illegitimam, turbulentam, & seditiosam, adeoque non a Deo pacis autore prouenientem, sed ab hoste omnis tranquillitatis & promotore seditionis, qui semina odii in vinea Christi spargit. Dupliciter itaque peccat talis Minister Ecclesiæ (1) conuiuendo circa tales turbas & tumultus, quos sua autoritate vel potius categorica aliqua animi sententia, per quam populo, se noile nec posse vocationem talem admittere, declaret, impedire possit. Solæ enim admonitiones, ne populus tam imprudenter procedat, haud sufficiunt ad impediendos eiusmodi tumultus, quin potius sæpe excitant & inflammant eo magis animum vulgi, vt eo magis pergat in sua pertinacia, quia videt, sibi non omnem spem esse præclusam & ereptam. (2) admittendo in se vocationem extortam & illegitime impetratam. *Difficile est*, ait Pontifex supra §. 29. *vt bona peragantur exitu, qua malo sunt inchoata principio.* Dum enim scit, se illegitime esse vocatum, qua conscientia suscipere hoc officium sacrum potest? Merito itaque, qui vt lupo intravit Ecclesiam in bello & seditione, arcendus est a Christi ouili in pace. Perinde enim meo iudicio foret, tali Ecclesiam gubernandam relinquere, ac si quis vellet lupo con-

*An vocatio  
salua con-  
scientia a  
vocato ac-  
cipi possit?*

credere custodiendum ouile: sunt enim lupi, qui illegitime ingrediuntur ouile Christi.

*Officium  
Magistratus  
circa  
has vocatio-  
nes turbu-  
lentas.*

§. XXXIV. Restat vero nunc, vt quale sit officium Principis & pii magistratus circa has vocaciones breuiter delineem. Omnino enim horum interest, ne talis vocatio effectum suum habeat, vnde quantum in ipsis est, recte faciunt, si populi conatibus resistent, & talem vocationem impediant, quæ in perniciem & Ecclesiæ & Reipubl. tendere potest, cum tamen vtriusque salus & incolumitas ipsi sit concredita. Illustrabo hoc potius aliorum quam meis verbis. Summus Conringius in *disp. de Constit. Episc. German. vbi th. 46.* de afferendo iure principibus circa electiones Episcoporum est sollicitus, hac de re bene loquitur, ex quo officium magistratus circa tales „vocationes satis instrui potest. Duplici potissimum, inquit, „nomine omnem illam principum potestatem facile defendas. „Primo, quod summi sint Principes, penes quos est suprema „potestas administrandi rempubl., tum secundo, quod patro- „ni sint præcipui Ecclesiarum. Principis nempe hæc prima de- „bet esse cura, vt respublica sit tranquilla & beata. Hunc fi- „nem autem vt assequatur, immane quantum in Rebus publi- „cis & regnis Christianis in Episcoporum constitutione situm „est. Vt sane populus recte suum officium faciat, vtque sit „virtutum & religionum amans, multum interest, quales „sint Episcopi. Ne talibus itaque regenda committatur Ec- „clesia, quorum exemplo subditi fiant deteriores, Principis „propria curatio est. Id vero quomodo præstabit, nisi in „Episcoporum electione Principis quoque potius aliqua ratio „habeatur? Dein, cum respubl. salua esse non possit, quæ in- „testinis motibus & seditionibus agitur, ad eas vero velex- „citandas vel reprimendas plurimum in Episcopis situm sit, „opera vtique principi est danda, vt tales constituentur, qui „sunt pacis & concordie amantes &c. Et paucis interiectis: „Huc accedit, quod a solo Clero & populo electus hæc omnia „soleat

soleat ferre accepta; Regi, si eius consensum accedere opus,  
 non sit, nihil harum. Nec igitur hinc est amor in Regem,  
 nec obseruantia tanta, quanta esse solet, si beneficium ab  
 ipso rege datum agnoscat, quod tamen fieri Reip. multum  
 interest. Amor sane & obseruantia in Regem si absint, ma-  
 gna patet ad tumultus ciendos & res nouas moliendas quasi  
 inuitatio, praesertim si non desint occasio & vires. In eun-  
 dem fere modum loquitur Caspar Ziegl. *in tr. de iurib. Ma-*  
*iest. lib. 1. c. 18. §. 2.* inquires: *At, quatenus idem in Republ. sum-*  
*mam tenet potestatem, etiam sic tali respectu interest ipsius, ut*  
*ne quisquam sine ipsius voluntate vel tacita vel expressa munus*  
*Ecclesiasticum occupet, etiam tunc, cum ipse membrum Ecclesiae non*  
*fuerit. Principis scilicet prima haec debet esse cura, ut republ.*  
*beata sit & tranquilla. At multum hic valent illi, qui sacra tra-*  
*ctant, qui si virtuosus non fuerint, si vitis & criminibus inquinati,*  
*si male fame & existimationis, quid aliud inde sperandum,*  
*quam ut eorum exemplo auditores quotidie fiant, deteriores, & res-*  
*publ. inde minus beata. Sed & multum potestatis apud suos Au-*  
*ditores plerumque tenent sacrarum Antistes, ita ut dnoyowyiav*  
*quandocumque possint prebendere & intestinis motibus atque sedi-*  
*tionibus vel excitandis vel reprimendis idonei semper existant.*  
*Ad Principem igitur spectat dispicere, ut pacis & concordiae aman-*  
*tes constituentur, ut legibus Reip. adsueti, ut illi, qui statu, in*  
*quo degunt, contenti, praesentia sequuntur futura meliora expe-*  
*ctant. Talis itaque minister a populo per clamores ele-*  
*ctus totus dependet a nutu populi, hunc sequitur, fo-*  
*net, & ne quidem hiscere audet contra eius ausus, quia*  
*beneficio eius electus est. Concludo itaque, multum inter-*  
*esse totius Reipubl. Ecclesiae & eorum, qui vtrique praesunt,*  
*ne tales admittantur foueantur aut tolerentur vocationes per*  
*clamorem. Ex quo simul apparet, quale totius Ministerii re-*  
*uerendi officium hic esse debeat, nam & huius omnino inter-*  
*est, ne per turbulentam hanc viam membrum ei inferatur,*  
*quod*

*Officium mi-*  
*nisterii cir-*  
*ca tales vo-*  
*cationes?*

quod in approbrium eius vergere possit. Et cum ad hoc proximus cura circa ecclesiae salutem pertineat, eo maiorem quoque curam habere debet, ne talis pessimi exempli vocatio admittatur. Breuiter: omnibus viribus, contendere debet ad turbulentam talem vocationem impediendam.

## COROLLARIA.

### I.

**P**Rudentis est clamores excitatos in scriptis ab his, qui alios conuiciando inclarescere satagunt, contemnere, & tacendo finem inutili rixae imponere.

### II.

Clamores immodesti impiique scriptoris aequae nocent rei & publicae & literariae, quam hi qui turbas seditionesque mouent.

### III.

Clamando inuerecunde veritas amittitur.

### IV.

Incidit in crimen famosi libelli, qui refutando alios clamores iniuriosos intermiscet & nomina iniuriosa dissentientibus adscribit.

### V.

Grauitur peccat in Leges imperii, qui approbatae religionis in imperio additis nomina in legibus prohibita assignat v. c. Reformatos vocando Caluinistas.

### VI.

Recte & pie facit magistratus, clamores tales impediendo & prohibendo.

VII. Duo



VII.

Duo munia sacra in diuersis locis vni committi nequeunt, saluis legibus Ecclesiasticis.

VIII.

Vir vere eruditus & sapiens in scriptis, etiam vbi ab aliis dissentit, nunquam clamat. Ergo nec eruditi nec sapientis titulum meretur, qui clamat.

IX.

Quæstio hæc : an Athanasius *iuste* fuerit depositus, non est theologica, sed iuridica.

X.


Desperatæ causæ & Pseudo-Sapientiæ primum præceptum est, facere aliquem suspectum in religione, exemplo eorum, qui Danielem hostiliter insequabantur.

XI.

Qui clamant, vt plurimum statum controuersiæ mutare solent. Exemplum esto, si quis assereret, patres in Concilio Antiocheno peccasse, quod in depositione Pauli Samosatani auxilio Ethnicæ Imperatoris vsi fuerint, & sic in modo peccauerint, & contradicens ita inferret, quod alter friuole iniuste & impie fecerit quod Ecclesiam Christianam propterea accusauerit, quod Paulum Samosatenum hæreseos damnauerit, eundemque Aureliam auxilio ab Episcopatu demouerit.

XII.

Quamuis contra leges externæ iustitiæ non peccat, qui iniuriose clamanti acerbè respondeat, leges tamen amoris, christianismi & prudentiæ id non admittunt.



**E**s Vaterlandes Nutz ist billig ist dein Stern /  
 Wornach dein Geugel sich mit vollen Winde lencket /  
 Wo deiner Gaben Gold / die die Natur dir schencket /  
 Du reichlich ladest aus / diß ist der rechte Kern.  
 Diß ist die rechte Frucht / den Pindus hohe Spitzen  
 Aus ihrer Andern Fluß und reichen Quellen schwoitzen.  
 Wo die gemeine Ruh / der Mittel-Punct soll seyn /  
 Darnach der Circul-Kreyß auf Mittel wird geführt.  
 So wird der Staat verderbt / wenn nicht der Fried regiert /  
 Man nicht der Bürger Pflicht in Regula schliesset ein.  
 Soll unser Regiment Glückseligkeit befröhen /  
 So muß ein spiser Sinn nicht den Befehl verhöhen /  
 Der von gemeiner Ruh selbst hergenommen ist.  
 Da sinckt der Ruder hin da hilfft nicht mehr das Wachen /  
 Wenn an den Steuer-Mann sich ein jeder Kopff will machen /  
 Wo Klipp / Strand / Eb und Fluch / stets weiter umb sich freißt /  
 Soll nun der Bürger Pflicht in keines Abweg gleiten /  
 Muß der Vernunftts-Magnet Sie zu dem Stats Hof leiten /  
 Und kein verdeckter Fuchs in falsche Stats-Nez ziehn !  
 Du aber wehrtster Freund / laß dieses Blatt bezeugen  
 Wohin dein Will und Herz sich will und soll hinneigen /  
 Und daß dir dein Studiern zum rechten Nutz gedienn.

Dieses sekte dem Herrn Respondenten /  
 seinen Wehrtesten Freund zc.

E. A. B. S. P. M.



ULB Halle

003 892 832

3



7  
sb.







Q. D. B. V. \*  
DISPV TATIO IVRIS ECCLESIASTICI  
De

18 16  
28

1703  
**INIVSTITIA VO-  
CATIONIS FACTAE  
AD CLAMOREM POPVLI,**

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO IVVENTVTIS PRINCIPE  
**DN. FRIDERICO  
WILHELMO,**  
REGNI BORUSSICI, ELECTORATUS BRAN-  
DENBURGICI ET PROVINCIARUM HEREDE,  
ET RELIQUA,

*In Regia Fridericiana*  
PRAESIDE

**DN. IVSTO HENNINGO Böhmerl**  
D. IVRIVM PROF. PVBL. EXTRAORD.  
IN AVDITORIO MAIORI

D. Mart. M D C C III.

Horis consuētis  
publico eruditorum disquisitioni subiicit

**HERMANNVS MATTHIAS RADEMACHER,**  
Hamburg.

HALAE MAGDEBVRGICAE

Litreris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

HALAE MAGDEBVRGICAE, Acad. Typogr. 1725.

